

VICENALIA SACRA

ARAGONIENSIA

SIVE

DE VIRIS ARAGONIENSIBUS

RELIGIONE ILLUSTRIBUS

Hicce Viginti Annis

GLORIOSA MORTE FUNCTIS.

Ab Onupbrio Prat de Saba Sac. Hispano.



FERRARIÆ

EX TYPOGRAPHIA FRANCISCI POMATELLII
MDCCLXXXVII.
SUPERIORUM PERMISSU.

in rebus spiritualibus utebantur, vel largitate fruebantur in angustiis, et protectorem, benefactoremque egregium sibi defuisse attestabantur. Horum vero animi dolorem, æquissimum illum quidem item chari capitis desiderio, delinire potuit Jacobi Pedralbes, qui Jo-Antonio diu fuerat a confessiobus, plenissima assertio. Hic siquidem vir, qui, audita ejus morte, sperare vehementer se dixerat eum brevi æterna requie fruiturum; ante diem tertium familiarissimo suo aperte declaravit Jo-Antonium fuisse jam in cælesti patria exceptum.



R. D. JOACHIMUS SALA.



Vix pueritiam egressus, Latiique sermone regulis in urbe patria excultus Joachimus Ecclesiastico Sacerdotio donatus est, et Barcinonem missus daturus operam studiis philosophicis. Quo tempore cum procul ab Parentibus, et in urbe frequentissima versaretur, in qua genio indulgere haud difficile poterat; eam vivendi rationem suscepit, quæ sacræ rebus addiscendo maxime conveniret. Arripuit siquidem christianæ perfectionis non ardenter minus, quam philosophiaæ studium, quantum vero in utroque profecerit, ex his, quæ in ejus vita ma-

maxime emicuere , conjici facili negotio potest . Jam tum se , resque suas interna gratia edocitus , divino penitus arbitrio consecrarat , id exequi paratissimus , quod esse divinæ voluntati conformius intelligeret . Cujus sane consilii experimentum dedit pro illa ætate , mea quidem sententia , maximum . Vir , cuius hospitio utebatur Joachimus , statuerat , ut parvulus filius , qui primis literarum elementis erudiebatur , nocturni studii tempore una cum Joachimo versaretur , a quo et dirigi in dubiis posset , et excitari etiam si quando somno opprimeretur ; præcipue vero ut adsuesceret ejus exemplo constanti studiorum labori sustinendo . Nocte quadam cum puer semisopitus excitatus fuisset , mente perterritus ab suborto ingenti terræmotu , quo omnia sus deque verti videbantur , inque uberrimas lacrimas effusus quæreret qua trepidationem illam , atque adeo mortem , quam timebat certissimam effugeret ; jussus est a Joachimo consistere , qui timori ejus modum indixit , dicens : quo configies ? Ap locus est ullus , ubi ab divina vindicta tueri te possis ? Submitte illius voluntati te , et in ejus manibus tua omnia depone . Jam tum ardenti in eos zelo accendebatur , quos sciebat , vel suspicabatur etiam quidquam moliri , a quo divina gloria offenderetur : quæ crimina ut quacumque posset ratione vitare rapiebatur interdum ad aliqua agenda , experienda que , quæ ei certe gravissimi esse mali potuissent ,

O 2

quæ-

quæque sustinuissest profecto alacriter , si Deo placuisset , vexari se , cruciarique pro tuenda ejus gloria , vitandisque criminibus .

Hoc sequendæ in omnibus solius divinæ voluntatis firmissimo consilio ; dum Barcinone philosophicis studiis magna contentione vacaret , et inter frequentissimos condiscipulos ingenii acumine , expoundendis , solvendisque difficultatibus vel primus haberetur Joachimus ; sensit se internis vocibus ad Societatis Institutum amplectendum a Deo invitari , cui parere statuit firmissima illa fide , qua dum res omnes suas Ejus famulatu dicarat . Summi momenti negotium dum longa meditatione persequitur , et cum spiritus sui directore confert , emenso philosophiæ curriculo , dabat operam theologicis studiis , secum reputans quo pecto , quod vehementer optabat , exequeretur . Admissus inter Socios ; cum non speraret a Patre , qui in eo spem familiae suæ collocarat , facultatem , ut votis ipse suis ficeret satis ; cumque viri illius uteretur contubernio , qui motibus ejus omnibus attentissime invigilaret ; discessum ab urbe , et profectionem suam in Tarragonense Tirocinium summa cautione prærandum , exequendumque existimavit . Priusquam igitur res , consiliumque præter confessarium , cuique innotesceret , divisisque pridie pauperibus vestibus illis , quibus amplius non esset usurus ; mane deo profectus est , causatus prandum sibi extra

ur-

urbem paratum ; et ne , quod vereri haud imme-
rito peterat , insidiæ in via pararentur , quam po-
git celeriter Tarragonem properavit . Hic inter
Tirones adnumeratus ea religiose perfectionis fun-
damenta jecit , quibus inniti , corroborarique virtu-
tes omnes illas necesse erat , quæ in ejusdem vi-
vendi ratione constantissime emicuere quasque sibi
religiosa professio postulat , in qua omnium iudicio
exemplar est habitus absolutissimum .

Acceperat divino beneficio præter solidum inge-
nii acumen , naturam nullis cessuram laboribus ;
utraque re facile est consecutus , ut inter coævos
sodales suos dignus haberetur , cui primi honores
deferrentur . Hos vero ipse tanti putavit , ut cum
plurimi faceret voluntatem præsidum , quorum ex
imperio eisdem sustinebat , æquo animo illis care-
ret , si in tenebris delitescere juberetur . Exuerat
se scilicet jam ab adolescentia suis rebus omnibus ,
cumque divino famulatu totum se addixisset , præ-
ter Deum , in quem ardentissimo studio ferebatur ,
nihil estimabat amore , aut desiderio suo dignum .
Itaque laudes hominum fugiens , quarum illecebris
irretiri facile solemus , in infirmitate sua probe co-
gnoscenda diu multumque versatus , eam animi de-
missionem est nactus , ex qua virtutes reliquæ pro-
diere , et persuasio præcipue firmissima , qua se re-
bus omnibus ineptum judicabat , credique ab aliis
non modo non recusabat , sed fatagebat etiam . Nam-

que , ut alia omittamus ; cum ad eum accessisset confessarius , apud quem moriturus plenissimam conscientiae expiationem facere instituerat ; Pater inquit eximio animi candore , id tibi persuadeas velim , venisse te auditum rusticum indoctissimum : reponentique illi , scire se quid e re esset , adjunxit Joachimus , veluti cum rusticō ineptissimo , ita mecum agas , et tristes ero , obtestorque . Hanc animi demissionem longa meditatione consecutam sequebatur acerbitas , qua corpus humili , tritoque vestitu , viectu solum necessario contentum esse jussum , rara , quantumvis honesta , relaxatione sublevabat , tractabat assiduo asperime , ne umquam adversus spiritum insurgere cum spe victoriae , aut impune posset . Cumque motus animi omnes summa solertia examinaret , unde profecti , quo tendentes , quem ad finem excitarentur , intenta in unam divinam gloriam mente acuratissime perscrutaretur ; quidquid ab hac aberrasse compresisset , haud impunitum patiebatur ; nec decipi eum carnis astu , atque dolis inducive sinebat , ut aliquando sibi indulgeret , severitas , qua questionem de se assiduo habebat , patefactaque artes improbas eo multabat acerbias , quo callidius ad animi persistiem , latenteriusque parabantur .

Ceterum placuit Supremo Numinī , Joachimum adeo strenue decertantem novis præliis exerceri , ut ejus virtus exercitatione nova robustior , novis tri-

um-

umphis evaderet ardentior. Tradebat nostris, et exterritis adolescentibus philosophiam Gerundæ, cum oculorum infirmitate captus est, quæ medicæ artis conatus omnes irritos reddens; augeri sensim, graviorque fieri in dies cœpit. Sustinuit invicto animo, alacri etiam incommodum, quod tenerimis corporis partibus et si esset acerbi doloris, erat ejus animo multo acerbius, cum Vir laboriosissimus, in que exequendis, quæ ejus curæ commissa fuerant, eximiæ diligentiz, ac sollicitudinis ab omni pro tempore opera, studioque arceretur eo temporis, quo auditoribus suis opitulari magis, majoremque ferre opem debuisset. Quantis toto illo tempore experimentis, quam duris, quamque molestis intei- rius, exteriusque ejus patientia tentata fuerit, difficile dictu est, ea vero sustinuit ipse, tantaque hilaritate superavit, ut qui testes erant vehementer admirarentur.

Confecto philosophiaz tradendæ curriculo, cum morbi vis eo processisset, ut neque diurnum Sacerdotale pensum, neque in divino sacrificio, quæ legenda essent persequi oculis posset, subjecit se prorsus divinæ voluntati, et alacri animo ferebat tormentum, quo nullo fortasse acerbiori vexari potuisset pro ingenii acumine, proque laboriosæ vitæ desiderio flagrantissimo. Vedit siquidem ipso in ætatis virilis flore cogi se gravissimo illo morbo ad otium, retrahique, ulla absque spe obtinendæ va-

letudinis, ab illis apostolicæ vitæ ministeriis, quorum præcipue studio religiosæ vitæ institutum illud aggressus fuerat, ad quod a Deo se vocatum numquam dubitaverat. Sibi vero probe conscientius, nihil Christi discipulo magis præ oculis esse oportere, nihil charius, optatiusque quam divina voluntati, quocumque modo reclamante natura, penitus conformari suam, hocce sui totius sacrificio tanta alacritate functus est, ut vel ipsa oris tranquillitate mentis quietem illam ostenderet, quæ sollet esse illis dumtaxat propria, qui omni se volente exuerunt, ut divino nutu plenissime regerentur. Accepit autem summi beneficij loco ab præsidibus suis tradendis latinæ linguae elementis destinari, a quo munere oculorum infirmitate non arcebatur, cum quæ essent legenda, alterius posset ope consequi. Huic muneri vacabat totus, cupidusque in eo ad ultimum usque spiritum insudandi, cum regio ex imperio exulare est iustus, et novis se laboribus, novis difficultatibus committere, quas omnes infracto pectore superavit, quin vel ex ore, vel ex ejus verbis quidquam colligi unquam posset, quod hæroicæ magnanimitati minus apte conveniret.

Ut vero magnanimitas hæc plane singularis ostenderetur, novis subjicienda erat experimentis, et præter communes reliquias Sociis tribulationes, præter eas, quibus tamdiu vexabatur, corporis ægritudines, tentanda erat ejus in adversis sustinendis
for-

fortitudo singulari difficultate, ut singularis etiam ostenderetur. Nullum ab libris in diuturno otio subsidium petere Vir laboriosissimus poterat, audiebat siquem nactus erat legentem, qui ejus intuitu verba voce paulo elatiore proferret, eumque pro collato beneficio perpetuis gratiarum actionibus prosequebatur: quod reliquum erat temporis cælestium meditationi, fundendis precibus vel domi, vel sacris in ædibus, quibus frequens erat, tribuebat: nec brevis deambulatio, cui indulgebat, et si sovendis corporis viribus levi illo motu conferre quidquam posset, re alia externa recreare, ac reficere animum poterat; cum obtusa oculorum acies agrorum amænitate, atque arborum, ceterarumque rerum omnium jucunditate nulla delectaretur. Cumque hisce omnibus careret, molestissimo lotii fluxu laborare cœpit, quo præter incommoda alia, quibus maxime vexabatur, et queis providere novis sine incommodis non poterat, cum Sociis gravis esse summa religione caveret, prope ab omni aliorum consortio arcebatur, malebatque ægritudinis novæ molestias, ac dolores solatii cujuscumque privatione augere, quam ulli quidquam afferre molestiaz. Quibus in sustinendis cum plurimum patientia eximia exerceretur, nihil tamen ipse ex severitate, ac solita in se ipsum acerbitate remittebat, nec vexatum tot laboribus corpus dignum existimabat, quod indulgentia aliqua exciperetur.

Ne-

Neque vero cum severam adeo in se ipsum proficeretur philosophiam, gravis erat, aut injucunda cuiquam ejus consuetudo, ac familiaritas. Amabat vir eximia charitate instructus in iis, cum quibus agebat, hilaritatem, intererat quandoque honestissimi eorum relaxationibus, laudabat convivia, quibus fraternali soveri charitatem sciebat, licet ex hisce præter presentiæ jucunditatem nihil referret, cum omni alio solatio abstinenter: egros quo scumque invisebas crebro domi; crebro etiam in publico nosocomio detentos, quibus quam poterat opem conferebat. Quantum sibi in victu parcissimo, cultaque corporis demissio detrahebat pauperum sublevandas inopiæ paupertatis cultor studiosissimus conferebat; Curioni etiam dabat crebro quæ ipse distribueret suorum popularium ægestatis probe conscientius; cum sibi præter miserrimum lectulum, quo torqueretur magis, quam requiesceret, vix ullam suppellestilem pateretur. Si quidquam interrogaretur, in quo deprehendi ejus ingenium, eruditio, aut doctrina posset, obtinebat statim plenissimam ignorantiam suam; si urgeretur acrius, et sententiam suam cogeretur aperire, agebat id ita, ut non tam ea scire, quam forte fortuna capere ex olim auditis videretur, ne quis bonam de eo opinionem ultimam mente conciperet. Sub aliorum potestate constitutus adeo ab eorum nutu pendebat, ut re, et mente, veluti Deo ipsi obediret, nec quidquam
exi-

existimaret difficile , quod juberetur : probe sciens Deum vires eis uberrimas sufficere , qui ejus amore , ac intuitu aliorum sese imperio subjecissent . Hisce profecto rebus , quæ ejus naturæ sunt , ut effugere aliorum oculos penitus non possint , crevit apud nos tres quæ dudum erat de ejus sanctitate opinio maxima , diffundique apud externos cœpit , quibus crebrior usus cognoscendæ virtutis illius copiam faciebat . Quæ quidem quamvis magna esse fateamur , multo minora existimamus internis , in quæ omnem ipse sollicitudinem , viresque mentis omnes intenderat , cavebatque cura singulari , ne cuiquam paterent , quamvis ab externa specie utcumque deprehendi facile possent et prope assidua in Deum mentis elevatio , assidua cum Eo colloquia , etiam cum solus ambularet , et solitudinem amaret suam ; conatus solertissimus , quo internos compesceret motus , et affectus omnes suos ad Deum dirigeret .

Cum tanta contentione perficiendo animo adaborasset , correptus est morbo , quo debilitari corporis vires sensit , et adventare cognovit supremum militiaz suæ diem . Excepit alacriter proximæ resolutionis suæ nuntium , cum ei dudum nihil esset optatius , quam dissolvi , et esse cum Christo . Diebus vero , quibus , fractis corporis viribus , morbi cum violentia luctandum ei fuit , ea dedit Sanctitatis documenta maxima , quæ accipi ab inveneribus eum , intuerique ab iis , qui ei ministrabant , sum-

summa siae religione non poterant. Relicta 'ministrantibus omni corporis cura, excolendo novis, ferventioribusque virtutum omnium affectibus animo tempus omne contulit, perfectissima præsertim in divina voluntate conformatio[n]e, unde cetera fluere bona omnia noverat, inque cælestium contemplatione, ad quæ vocari ex sola divina misericordia sentiebat. Inde tranquillitatem animi, atque hilaritatem illam hauriebat, quam non verbis solum, sed vultu etiam præseferebat, quæque adstantibus prorsus mirabilis videbatur: apparebat autem major, quo ad optatum finem accelerabat proprius. Cum esset jam externis sensibus prope destitutus, et veluti dulci somno requiesceret; clarescere ejus vultus cœpit, et insolitam alacritatem induere, quod dum adstantes vel maxime admirarentur; ipse ridenti ore, porrectoque brachio dextro, veluti præsentem queindam mirifico amore complectens, placidissime obdormivit.

Mortis pretiosissimæ vulgato nuntio, quisquis Joachimum vel solo vultu noverat, palam dictabat excessisse e nobis Virum vere Sanctum: quiq[ue] vivens non commendari modo, verum etiam vide ri fugiebat, cœpit mortuus maximis extolli laudibus, et omnium ore celebrari. Patres vero, quibus Collegii a Jesu dicti cura commissa est, quo in Templo Sacra faciebat Joachimus, cum ejus usu longo, et summa relligione, qua sacra peragebat,

ma-

magnam de eo opinionem animo conceperint, ex viarum ejus custodes esse voluerunt, quod jure sibi postulare videbantur; cum non semel eis significasset Joachimus, fore sibi gratissimum, ut in ea Templo tumularetur, ubi tot sociorum suorum cineres conquiescerent. Quibus, etsi ægre, morem sibi gerendum tamen duxit apud S. Matthæum Curio, cuius totum negotium intererat, maluitque defuncti votis facere satis, voce licet solummodo significatis, quam iisdem prætermis, jure uti suo. Sepultus est itaque eo in Templo arca inclusus, cum hac de eo memoria.

Joachimus Sala Sacerdos (olim) Professus S.J. natus in Oppido Berga Diœcesis Cælsonensis in Catalonia die 25. Oct. 1725. obiit Ferrarie die 19. Feb. 1784. omnium consensione maximarum virtutum exemplis, summaque morum honestate clarus. Cujus rei quo testatior esset apud posteros memoria, Hispani Socii voluere monumentum hoc esse possum. Recit. bujus Coll. P. D. Hieronymo Bentivoglio C. R. Somasehæ. Editio F. Paulo Furlani.

